

cramentorum numero habitum fuisse; sed tantum improprie, & eatenus, quantum in Levitico prisco ministerio figura erat Pontificatus, & ordinis novæ legis, in quo demum Sacramenti dignitas futura fuisset. Cæterum idem Innocentius hoc discrimen perspicue explicavit in cap. 7. de divortii, ex quo nihil amplius superesse potest dubita-

## QUÆSTIO I.

### De vulgari matrimonii partitione in legitimum, raptum, ac consummatum.

**N**escio, an primus Gratianus apud cultores canonum, an primus Petrus Lombardus apud Theologos, uterque sanè recentiorum scholarum Parentes, & Duces, ad explicandas magis perspicue varias connubiorum qualitates, & gradus, distinxerint inter conjugia legitima, & conjugia rata; imò tradiderint, alia esse conjugia legitima simul, & rata; alia legitima quidem, non rata; alia è converso rata, non verò legitima; an potius uterque vulgaverint commentariis suis, quod recens ex instauratarum sui temporis scholarum disciplina accipere potuerunt. Ait Gratianus post canonem 17. caus. 28. quæst. 1., conjugium legitimum esse, quod legali institutione, vel provincie moribus contrahitur; quod ipsum eisdem ferè verbis explicat Lombardus in lib. 4. sentent. dist. 39. in fine; addit tamen Vir Theologus legitimum esse conjugium, quoties præterea non contra iussu Domini contrahatur. Hujusmodi exemplum profertur in conjugio inter infideles inito, apud quos nullum potest esse conjugii Sacramentum. Ratum illud appellant, quod à fidelibus ex præscripto Ecclesie celebratur, cui Sacramenti dignitas, & virtus inest, etiam si forte desint dotales tabulæ, aliæve similes civilis contractus formulæ, quæ solemnita-

tem matrimonii augere videntur, ac celebriorem. Quod si & istæ juris publici solemnitates interveniant, matrimonium ratum æquè, ac legitimum esse dixerunt. Non est, cur quisquam repugnet recentioribus istis loquendi modis, præsertim postquam in Pontificum Maximorum rescriptis adhiberi cœperunt, unde probati videantur, cap. 7. versum *et si de divortii*. Reverà, licet apud antiquos Patres non eadem omnino adpareant loquendi formulæ; in eandem tamen universi illi ivere sententiam, ut potè qui infidelium conjugium passim agnoverunt tanquam legitimum, & in ipso non mediocri nuptiarum bonum; conjugium autem fidelium ex præscripto Ecclesie celebratum stabilis adhuc, & longè difficilior dissolvendum esse dixerunt ob Sacramenti firmitatem. Neque displicere ad hanc rem cuiquam potest *rati* conjugii vocabulum: siquidem apud Latinos Scriptores id ratum dici solet, quod magis firmum est, atque inconvulsus; unde ratos legimus haberi contractus, quibus firmandis solidius quoddam præsidium accedit; unde etiam nonnulla jure valere dicuntur, quamquam adhuc rata non sint, argumento l. 3. §. 1. ff. de donat. int. vir. & uxor., quemadmodum & rata fieri posse, quæ ex juris subtilitate non valebant, l. 3. cod. de

de contrah. & commit. stipul. Quod si veteres Ethnici ratas hominum preces Diis fusas dixerunt, quibus Diis ipsi favissent, juxta illud Ovidii lib. 1. Pastorum prope finem: *efficiantque ratas straque diva preces*, quasi eas, quæ non in irritum fusæ fuissent; potiore jure nos rata conjugia appellabimus, quæ sunt apud Ecclesiam stabilita superna benedictione, juxta phrasim Tertulliani jam superius laudati, cum matrimonium memoraret, quod *Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsequat benedictio, Angeli renunciant, Pater RATUM habet*.

Ecquidem video, perspectissimum esse rem, quæ passim sub oculis ponitur, cum dicitur, aliquando conjugium esse & legitimum, & ratum; quod scilicet, & juxta publicas leges contractum sit, & Sacramenti habeat dignitatem; item cum dicitur, esse legitimum tantum, non ratum; quod scilicet legibus publicis Civitatum consentaneum sit, sed vel ob personæ defectum, vel ob alias causas Sacramentum esse non possit. At verò cum traditur, aliquando ratum esse, non legitimum, juvat id paulo cum latius, tum clarius explicare. Ex iis, quæ jus civile non probavit, quedam sunt omnino damnata, ut nullum omnino sortiantur effectum; quedam autem, quæ licet non omnino probata sint, eamque ob rem civilis effectus careant, in sua tamen adhuc natura consistunt, ac si apud Romanos cives non agerentur. Est hæc generalis pactionum universalium doctrina, quarum aliqua poenitus evertuntur positiva lege alicujus populi, vel quod minus honesta, vel quod Reipublicæ perniciosæ videantur; aliæ è contrario quemquam non omnino juventur, sustineantur, quod certa, jure publico, præstituta forma destituta sint, adhuc tamen naturalem obligationem inducunt, quod non sint omnino damnata eademque proprie pacta nuda appellantur. Accommodemus regulam matrimonii, quæ sanè & ipsa, pactione, sive con-

sensu ineuntur. Justa conjugia sunt, quæ ad legum publicarum sanctiones undecumque exacta deprehenduntur. Ad injustorum conjugiorum duplex est species: alia enim licet injusta, adhuc tamen conjugia sunt, nimirum hinc non habentia omnes publici juris effectus, illinc non omnino damnata, quasi nero naturæ jure consistent. Quamobrem bellè Ulpianus in l. 13. §. 1., juncto §. 4. ff. ad leg. Jul. de adult., tres mulierum species indicavit, uxorem justam, uxorem injustam, & eam, quæ uxor nec dici, nec esse potest; ut in uxore sive justa, sive injusta adulterium committeretur, non in ea, quæ quamvis ducta, putè ob consanguinitatem nec dici uxor, nec esse potest: & quando injusta uxor adhuc ab ea, quæ nec dicitur, nec est uxor, distinguitur, quis inficiari potest, injustam uxorem dici, quæ legibus Romanis uxor non habetur, uxor tamen proprie est naturalis jure, quod positiva lex minime immutaverit. Exempla perspicua sunt. Quid enim, si servi, aut peregrini, uno verbo, quotquot cives Romani non essent, matrimonium contraxissent? Justum hoc conjugium Romanis legibus non habetur, prius, inste, de nuptiis, quin tamen conjugium idem Romana lege damnetur; quo propterea in genere, juxta Pomponii phrasim in l. 8. ff. de ritu nupt., non legibus quidquam definitum adparet, sed ex moribus judicatur. His positus, dico, Sacramentum conjugii accedere posse conjugio, seu quod justum sit, seu quod injustum, dummodo non lege damnatum. Siquidem statim ac consistit conjugium, etiam si ex mera naturalis juris simplicitate sine majore juris publici præsidio, jam quidquam profectò positum est, cui Sacramentum accedat; quemadmodum si de jurejurando sermo sit, jure dicitur, istud pactionibus accedere non posse lege damnatis, ne vinculum iniquitatis habeatur, posse tamen accedere pactionibus non undecumque lege probatis, auth. *Sacramenta puberum cog.*



si adversus venditionem. Non est longè petita iurjurandi similitudo. Utrobique de accessoris agit; quando verum est, & firmandis generaliter conventibus iusjurandum, & firmandis, sanctificandisque conjugii Sacramentum accedere; ac propterea si quod pactum nullo modo consistit, non firmatur iurjurando, firmatur autem quod consistit, sive omni jure, sive tantum in simplicitate naturæ consistat; conjugium quod nullo modo consistit, minime sanctificari poterit. Sacramento, contra sanctificabitur, quod quoquo modo consistat, saltem in naturalis juris simplicitate. Nunc revocatur isthuc nuper memorata exempla conjugiorum, quæ peregrini, quæ servi, quæ homines Romani civitatis jure carentes contrahant. Quoniam ista utut non justa, adhuc tamen natura consistunt, nec Romanis legibus sunt damnata, Sacramento eadem firmari, ac sanctificari, ecclesiasticis legibus definitum adparet, cap. 1. de conjugio servorum. Neque simile exemplum quisquam adferre poterit in conjugii alterius generis, quæ damnata omnino jure publico demonstrat. Itaque perspicue, ut arbitror, declaratum est, quomodo intelligenda sit vulgaris illa traditio, qua docemur, posse aliquando esse conjugium ratum, quin sit legitimum, id est Sacramento sanctificatum, quin omnes publicarum legum effectus sortiatur.

Qualecumque verò sit conjugium, vel legitimum tantum, vel etiam ratum, adhuc tamen jure subsistit, & firmitatem obtinet suam, etiam si nondum liberis operam conjuges dederint; unde jure optimo à legitimo, vel rato conjugio distinguitur consummatum, non sanè dixerim, quasi conjugium à conjugio, sed quasi ulterior vel rati, vel legitimi conjugii gradus. Nam de legitimis nuptiis id jam tradiderunt Jureconsulti Ethnici, l. 30. ff. de reg. jur., l. 1. ff. de condit. & demonstr., l. 32. §. 13. ff. de donat. int. vir., & uxor., de rato autem matrimonio clarè adhuc, & propositis sanctorum exemplis testati

sunt ecclesiastici Patres, quorum plurimi recensentur in causa 27. quæst. 1. Hinc planè proficiscitur, posse conjuges etiam post datam mutuum fidem, & factam invicem suorum corporum potestatem, ex consensu abstinere, firmo nihilominus manente conjugii vinculo, ita docente inter ceteros Augustino in lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 11. ibi: *Quibus verò placuerit ex consensu abusu carnalis concupiscentie in perpetuum abstinere, absit, ut inter illos vinculum conjugale rumpatur; imò eo firmius erit, quo magis ea pacta secum inierint, que carius, concordiusque servanda sunt non voluptuariis nexibus corporum, sed voluntariis affectibus animorum.* Neque enim fallaciter ab Angelo dictum est ad Joseph: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Coniux vocatur ex prima fide desponsationis, quam concubitu nec cognoverat, nec fuerat cogniturus. Nec perierat, nec mendax manserat conjugis appellatio, ubi non fuerat, nec futura erat carnis ulla commissio.* Erat quippe illa Virgo, ideo, & sanctius, & mirabilius juvenda viro suo, quia etiam facunda sine viro. Propter quod fidele conjugium parentes Christi vocari ambo meruerunt, & non solum illa Mater, verum etiam ille Pater ejus, sicut coniux matris ejus, utrumque mente, non carne. . . . Sed cum illo nobis seminante illa peperisset, profectò nec ambo parentes essent, nisi inter se etiam sine carnis commixtione conjuges essent.

Ut clarior ista intelligantur, animadvertere juvat cum Isidoro Hispanensi lib. 9. originum cap. ult., tres ob causas conjuges dici: *Prima est causa prolis, de qua legitur in Genesi: & benedixit eos dicens: Crescite, & multiplicamini. Secunda causa adjutorii, de qua ibi in Genesi dicitur: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile. Tertia causa incontinentie, unde dicit Apostolus, ut qui se non continent, nubant.* Equidem duæ priores causæ primam ipsam conjugii originem, atque institutionem spectant, quemadmodum liquet ex laudatis apud Isidorum Genesios monumentis. At postrema tum demum suborta fuisse videtur, cum in sta-

tu

tu naturæ lapsæ ingravescere humana infirmitas cepit, ad quam sanè unam Apostolus nuper apud Isidorum laudatus respexit. Cum verò nemo esse possit, qui substantiam conjugii ad postremam hanc causam referendam putet, utpotè quæ conjugio jam constituto postea accessit, illud superest, ut vel ad primam, vel ad secundam conjugii substantiam referatur. Equè conditor Deus utramque probavit in cap. 1. & 2. Genesios: quum verò feminam conditurus eam ideo sociaverit Adæ, ut Adæ simile adjutorium daretur; ac tum demum bonum prolis esse voluerit, cum jam inter utramque firmata societas esset, facile colligitur, adjutorii illius causam tanquam præcipuam habitam à Deo conjugii institutore fuisse. Notanda sanè verba illa: *Adjutorium simile*: neque enim quasi duos potestate pares condidit, junxitque animis Deus, ne fortè quæcumque societas, atque animorum consensio matrimonium haberetur, sed unum adjutorium alterius, alterum præcipuum familiarum regimen vindicantem; sed unum alteri similem, non æqualem, ut alter alteri subiceretur, quas utriusque notas natura ipsa in difformi sexu constituisset. Et reverà cum ex divina ordinatione constantissimum, ac perpetuum conjugii vinculum neceretur, matrimonii in eundem substantia erat in ea causa potissimum collocanda, quæ perpetuè etiam consisteret, cujusmodi esse non poterat sobolis procreatio, cui sera conjugum ætas inepta fuisset; poterat è converso arctissima quædam societas animorum, & individua communio vitæ; imò cum isthæc universæ vitæ communio, hominum conjunctiones à conjunctionibus brutorum maxime distingueret, quando in procreatione sobolis omnia ferè sunt hominibus brutisque communia, tantò aptius erat humani conjugii substantiam ponere non in ipsa procreatione sobolis, sed potius in individua universæ vitæ communione, quanto dignior conjunctio hominum esse deberet

conjunctione brutorum. Adde his, pertinere ad bonum præcipue universalitatis, quòd uxor prolis causa ducatur, pertinere autem ad mutua officia invicem inter conjuges ipsos præstanda, quòd ducatur uxor causa adjutorii, id est quòd, uti adhibent Romani veteres, fiat inter conjuges individua consuetudo vitæ, atque omnis juris communicatio. At bonum illud universalitatis, quòd ex sobolis procreatione dimanat, licet aliquando præceptum fuerit, ut curaretur quoties nimirum universitas aliàs in interitum vergeret, quandoque tamen, imò ut plurimum, postquam latissime præpagatum est genus humanum, non adeo magnum est, ut illi non præstet continentia bonum, quòd ipsi conjuges consequantur. Sed fœdus sanctissimæ societatis, ac communio semel inter conjuges initum invicem eos ita devincit, ut vix præstantius quoddam bonum proponi possit, cujus adsequendi gratia quoquo modo sit ab eodem federe recedendum. In hac utriusque causæ comparatione, causam adjutorii, sive individua vitæ, causam sobolis procreanda facile præferemus; ut in illa potius, quam in ista substantiam humani conjugii collocemus, unde deducatur, quòd ab initio constituit, non solum verè matrimonium dici, quòd necdum consummatum sit, verum etiam illud in quo conjuges concordii voluntate de continentia bono servando consentiant.

Posita res esset extra omnem difficultatem, nisi adhuc objicerentur duo monumenta, alterum Augustino, alterum Leoni Magno adscriptum in can. 16. & 17. caus. 27. quæst. 2., quæ sanè veteres Interpretes non parum turbaverunt. Verum quòd spectat canonem 16., jamdudum Romani Correctores palàm fecerunt, eundem perperam ex Augustino laudari, quando inter Sancti Hippoensis Antistitis opera minimè reperitur. Adde ego, apud Augustinum è contrario ejusmodi legi sententias, quæ in oppositam partem nos adducere necessario debeant quem



quemadmodum perspicuè liquet ex can. 9. & 10. eadem causa, & quæstione. Amplius progressi sunt Romani Correctores, scribentes, laudatum canonem 16. *videri summam sequentis capituli*, nimirum 17. Ego, venia dixerim virorum gravissimorum, hinc nota subscribere nequeo; quamquam inveni, contigisse aliquando in Gratiani codice, ut adjectæ canonum Summularum pro canonibus haberentur, sicut inter cæteros adparet in can. 7. & 8. eadem caus. & quæst., tamen in hac parte id non contigisse demonstratur vel ex eo, quòd eadem ipsa verba rursum sub Augustini nomine apud Gratianum legantur post canonem 39. eadem causa, & quæst., vel ex eo, quòd sub Augustini etiam nomine legantur apud Petrum Lombardum Gratiano coævum Scriptorem in lib. 4. Sententiarum dist. 26. Neque verò me quisquam interroget, cuiam canon sit adscribendus? Si quidem investigent fragmenti illius auctorem, qui plus otii habent: mihi sufficit observavisse, illud non esse Augustini, cui cæteroquin adscribitur; proptereaque nihil facessere negotii, quousque nec parisi, nec haud longè inferioris, nec fortè majoris cujusquam viri ecclesiastici nomine verè insignitum proferatur. Ad canonem 17. iterum Romani Correctores animadvertunt,

vitiatam fuisse à collectoribus scripturam, præsertim ubi pro verbis illis postremis *nuptiale ministerium*, scribendum erat ex integra Leonis epistola ad Rusticum Narbonensem *nuptiale mysterium*. Interrogaverat Leonem Rusticus, num valeret nuptiæ cum quadam virgine contractæ ab eo, qui concubinæ jam pridem fuerat junctus. Respondit Sanctus Pontifex, nihil obesse nuptiis cum alia jure contrahendis veterem usum concubinæ, quam quoties vir causa legitime ducenda uxoris dimisisset, ex ejusdem Leonis sententia non erat duplicatio conjugii, sed profectus honestatis, can. 11. caus. 32. quæst. 2., atque hujus rei ratio reddebatur, quia nuptiale mysterium, quod scilicet in significanda Christi cum Ecclesia conjunctione consistit, in concubina desideraretur, quæ sanè sententia à proposita disputatione disat quamlongissime. Cæterum ad jus capituli interpretationem plurimum juvare posset, mentem Leonis rescribentis intimè perscutari, qualis deduceretur ex totius epistolæ lectione, quemadmodum ego jam observavi in meis animadversionibus in Gratianum parte 2. tom. 1. cap. 42. Juva-bit quoque ea observare, quæ inferius tradam in quæst. 4. de veterum concubinatu, ubi hanc ipsam Leonis epistolam commemorabo.

## QUÆSTIO II.

### Quomodo in conjugio Christianorum cohæreant, & ratio contractus, & ratio Sacramenti?

Duplicem esse matrimonii inter Christianos initi rationem, inspicere nemo potest; nimirum in eo celebratur, & contractus quidam certis legibus inter conjuges custodiendis, cujus vi communis est connubiis omnibus sive inter Christianos, sive inter cæteros homines indoles, ac natura; & Sacramentum Ecclesiæ, cujus causa connu-

bia fidelium tam ob nobiliorem supervenientem dignitatem, quam ob spirituales, qui ex divina institutione proficiunt, effectus, multò connubiis infidelium præstant. Verùm quo firmiter apud nostros est ista traditio, eo minus certum est, quomodo invicem & ratio contractus, & ratio Sacramenti cohæreant, ob varias Scholasticorum disputa-

### Quomodo in conjugio cohæreat ratio contractus, & Sacramenti. 23

tiones, quibus nondum finis impositus est ex Ecclesiæ definitione. Ut verum candidè fatear, post pensatas opinionum omnium, quæ hinc illinc emeruerunt, causas, anceps adeo sum, ut ignorem, in quam potius mihi sit partem eundem; illudque opportunè usurpem, quod in quibusdam de Sacramento baptismi quæstionibus agebat Augustinus in can. 31. de consec. dist. 4., divinam judicium per alicujus revelationis oraculum concordati oratione, & impensis supplicii devotione gemitibus implorandum esse, ita sanè ut post me dicturos sententias, si quid jam exploratum, & cognitum adferrent, humiliter expectarem. Interea neminem otiosè morabor, quodque satis erit pendenda hæssitationi meæ; satis etiam erit curiosæ Lectorum voluntati, exhibebo non componentis, aut disputantis, sed enarrantis instar, quid senserint varii Scriptorum classes, quarum singulis sua laus est, post quæ unusquisque in quam magis propendere videatur, opinionem inclinet, nisi fortè & eadem ipsa affectus sit animo dubitatione, qua me affici in præsentia sentio.

In eo veritatem totus disputationis cardo, ut (quoniam Sacramenta omnia suum ministerium habent, suam etiam formam, & materiam, uti recentiores Theologi loqui adamarunt, vel certa verba, & res, sive sensibilia signa, uti veteres loquebantur) commodè designetur & Sacramenti matrimonii minister, & Sacramenti ejusdem forma, ac materia; sive verba, ac sensibilia signa, ex quibus matrimonium ad producendam Dei gratiam jure elevatum esse credatur. Certa ab incertis sejungamus. Quæ certa sunt, & ab omnibus sine dubitatione recepta, ad duo capita reducuntur. Primum est, generaliter in Sacramentis omnibus, ac propterea etiam in Sacramento matrimonii, eum esse ministrum, qui formam pronunciat, eam esse formam, quæ materiam sanctificat, eam esse materiam, quæ per formam à ministro sanctificatur. Alterum est in Concilio Tri-

dentino licet multa specialiter de Sacramento matrimonii disputata fuisse sciamus, multa etiam definita, nihil tamen expressè fuisse cautum de ejus Sacramenti materia, forma, & ministro. Satis fuit providis Patribus firmavisse in primis fidei dogma, quo in matrimonio ritè celebrato verum novæ legis Sacramentum agnosceretur; deinde ad occurrendum pluribus animarum periculis, quæ ex clandestinis conjugiiis passim emergebant, utpotè, quæ rata, & vera conjugia habita fuerant, quando ea irrita non fecit Ecclesiæ, cavisse, ne in posterum aliter celebrarentur matrimonia, quam præsentè Parochio, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentiâ, adjiçiendo, ut ad celebrationem matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur, ubi Parochus viro & mulieri interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat, *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, vel aliis utitur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciae ritum. Certa hæc sunt apud omnes; nunc Scholasticorum dissidia expendamus. Melchior Canus in suo celeberrimo opere de locis Theologicis lib. 8. cap. 5. secutus Guilielmum Parisiensem, & doctrinam Concilii Colonienfis anni 1536. tradidit, civilem contractum à conjugibus initum habendum esse tanquam materiam Sacramenti, cui sanctificandæ forma à Sacerdote prolata accedat, scilicet cum Sacerdos ait, *ego vos conjungo &c.* juxta laudatam Tridentini Concilii sanctionem; ac propterea conclusit, ministrum Sacramenti esse Sacerdotem, qui ritè conjugibus benedicat, quam doctrinam non pauci ex recentioribus secuti sunt. E contrario multo plures numero fuerunt, qui Sacerdotalem benedictionem merè ceremonialem esse, & ad unam Sacramenti solemnitatem, non ad substantiam pertinere dixerunt, qui propterea contrahentes ipsos Sacramenti ministros appellaverunt; ad deinde ubi de for-



ma, materiæ. Sacramenti designanda ageretur, in varias iterum classes discussi sunt; uti enim ait Benedictus XIV. de Synodo diœcesana lib. 8. cap. 13; alique cum Catharino docuerunt, consensum contrahentium exterioribus signis expressum esse materiæ; verba verò à Christo Domino semel prolata, Matthæi cap. 19. *propter hanc relinquet homo patrem, & matrem, & adheret uxori suæ*, esse formam pro omnibus fidelium matrimonii. Alii cum Victoria opinantur, verba unius contrahentis, qui primo suum exprimit consensum, esse materiæ, & verba secundo proferentis esse formam; per quam prima determinatur ad constituendum contractum, & Sacramentum. Alii cum Covarruvia, Bazquez, & Basilio Pontio existimant, consensus utriusque contrahentis verbis, seu signis manifestos esse formam, corpora esse materiæ remotam, eorumque traditionem, & acceptionem (quam nescio, quo modo à consensu distinguant) esse materiæ proximam. Alii cum Cardinali de Lugo dicunt, contrahentium verba, seu signa, prout sunt traditio corporum, esse materiæ; ut verò significant, & causant personalem obligationem in utroque contrahente, esse formam. Alii denique, & magis communiter cum Soto, Bellarmino, Suarez, Sanchez, & Gonetio affirmant, utriusque contrahentis consensum verbis, seu signis expressum esse materiæ simul, & formam, sed sub diversa consideratione; nimirum materiæ, quatenus significat corporum traditionem, formam, quatenus mutuum exhibet eorundem acceptionem. In opinionum tam variarum conspectu clamavit laudatus Canariensis Episcopus, indicium non leve esse falsitatis opinionis, ad quam adstruendam coguntur illius assertores tot diversæ adsignare unius Sacramenti materies, & formas, quarum pleræque hæreticis nugatorie, ipsisque Catholicis aut commentitiæ, aut certe parum solidæ videntur.

Jam verò proferamus momenta, quibus utraque secta, tam eorum, qui Cæno adhæserunt, quam eorum, qui contra Cænum senserunt, in suam quisque partem trahi professi sunt. Singuli ratione pugnant: singuli traditiones Patrum, ac veterum Theologorum sententias suæ opinionis accommodant: singuli de Tridentini Concilii mente investiganda solliciti; neutri perspicuam definitionem Ecclesiæ proponentes. Qui Cæno adhæserunt, duplici argumentorum genere utuntur; siquidem primo suam opinionem aliorum, quasi absonam, & alienam à germanis sacræ doctrinæ principis conchiunt. Ad primum genus referunt plurimas Sanctorum Patrum veterum formulas, nimirum Ignatii Martyris, Clementis Alexandrini, Tertulliani, Ambrosii, & Episcoporum Concilii Cartaginensis vulgò IV., ajentium, *nuptias benedictione Ecclesiæ obignari, aut confirmari item manum imponere nubentibus Sacerdotes, ac benedicere*: addunt præterea Thomam Aquinatem in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 3. ad 3. scribentem, matrimonium, secundum quod est in officium naturæ, sicut penitentiam, secundum quod est virtus, non habere aliquam formam verborum; sed secundum quod utrumque est *Sacramentum in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens*, utrumque habere aliqua verba; quod etiam clarior explicat in lib. 4. contra Gentes cap. 78., dum inquit, *quandam benedictionem nubentibus per ministros Ecclesiæ adhiberi*. His accedit generalis observatio, qua dignoscitur, omnia Sacramenta ex dispensatione ministrorum Dei pendere; imò etiam adparere in Sacramento matrimonii ministerium Sacerdotale; dum à Sacerdote proferenda sunt: ea verba *ego vos coniungo &c.*, aut alia similia juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum, quæ sanè non inutilia esse debent. Et quamquam certis in casibus, veluti in baptismo urgente necessitate conferendo, etiam laicus ad conferendum Sacramentum admittatur, non tamen is veluti ordinarius ad-

mi-

minister censetur, per quem Sacerdotes, qui ordinarii ministri sunt, excludantur; quod sanè contingeret in Sacramento matrimonii, cujus si ministri contrahentes essent, ita ab eisdem Sacramenti collatio, & forma penderet, ut viri ecclesiastici à sacro illo ministerio prorsus excluderentur. Secundum argumentorum genus ita ex Cæno complector. In primis verba, quæ proferunt contrahentes, nullam præferunt sacræ rei imaginem, qualis in Sacramentorum forma requiritur, aut esse solet: imò illa talia sunt, qualia ab Ethnicis ipsis in conjugiiis pronunciantur: aliis verò in Sacramentis omnibus licet materia sit res aliqua naturalis, & quæ antea in humanos usus conferri solet, forma tamen supernaturalis sit oportet, cujus scilicet vis, & significatio non à natura, sed à causa quadam superiore oriatur. Nam Sacramenta, uti in Scholæ proverbio est, efficiunt quod figurant; significatio autem Sacramenti in forma vel maximè elucet. Quod si invicem comparentur verba, & quæ à contrahentibus, & quæ à Sacerdote proferuntur in nuptiis celebrandis, facile dignoscetur, contrahentium verba undique naturalia esse, atque omnibus usurpata gentibus, è contrario verba Sacerdotum sacræ rei symbolum, & effectum præferere: Præterea quando verba aliqua sunt forma Sacramenti, si nutus, vel scriptura, vel aliud unumquodque signum eorum loco verborum substituitur, inanis actio est: at si contrahentes loco verborum nutus, vel scripturam supponant, æquè faciunt matrimonium, ac si verborum millibus uterentur. Quod profecto si quis rectè consideret, non leve argumentum est, cur verba contrahentium Sacramenti potius esse materia videantur; nam præterquamquod materiæ Sacramenti is, qui suscipit, administrare potest, formam non potest; cum in idem fortè Sacramentum verba loco materiæ, formæque recurrunt, pro verbis, quæ

materiæ vicem habent, nutus, aliaque signa poni possunt, pro verbis autem, quæ formæ vicem sunt, poni non possunt, quemadmodum in penitentia Sacramento facile cernitur. Denique observant, quam absonum sit, ut in idem Sacramentum simul & confirant, & suscipiant; atque in uno, eodemque Sacramento conferendo duo ministri necessariò esse debeant, quod omninò singularæ esset, & à cæterorum Sacramentorum disciplina alienum.

Suas quoque non contemnendas, & prudentissimorum virorum judicio æquè probabiles argumentorum causas habent; qui contra senserunt. Etenim ipsi observaverunt in primis, verosimile admodum esse, Christum Dominum in Sacramenti matrimonii institutione Sacramentum ipsum naturæ matrimonii accommodavisse, ut propterea in matrimonii Sacramentum conficerent, qui matrimonii contractum conficiebant; camque ob rem mirum esse non debere, si quædam in hoc Sacramento singularia recipiantur, quæ in cæteris Sacramentis minimè obtinent. Deinde & veterum canonum, & Tridentini Concilii sanctiones scrutati animadvertent, clandestina conjugia, ea nimirum, quæ nemine ex Sacerdotibus præsentem fierent, firmitatem obtinuisse, cap. 3. de clandest. despons., cap. 15. & 21. de sponsal., Concil. Trident. sess. 24. de Ref. matrim. cap. 1., imò etiam post Concilium Tridentinum ex recepta ejusdem Concilii interpretatione non esse necessarium, ut matrimonium consistat, Parochum, aut alium Sacerdotem verba in Ritualibus præscripta proferre, sed sufficere, Parochum esse præsentem, licet fortè etiam contradicat. In conspectu laudatæ seu veteris, seu novissimæ disciplinæ, se palmam præferre arbitrantur; non enim, ajunt ipsi, matrimonium consistit sine ministro; nec propterea aut constitisset olim non præsentem Sacerdote, aut consisteret hodiè præsentem

D

qui-



quidem, sed nihil dicente, fortè etiam contradicente, si Sacerdos minister esset. Inviçtum planè foret hujusmodi argumentum, quoties probari etiam posset, mentem Concilii eam fuisse, ut matrimonium aut non præsentè olim, aut præsentè postea, sed nihil dicente, aut contradicente Parocho celebratum valeret non solum uti contractus, sed etiam uti Sacramentum, qua distinctione uti solent ad eludendam argumentum, qui contrà sentiunt. Verùm & hoc demonstrare conantur, qui contrahentes ajunt esse Sacramenti ministros, & quidem gravi ratione, qualis ex ipsis etiam Concilii Tridentini verbis deducitur. Etenim Patres Tridentini in dicto cap. 1. clandestina matrimonia, quæ scilicet olim sine præsentia Parochi celebrabantur, *rata, & vera* matrimonia, fuisse dixerunt, quamdiu Ecclesia irrita non fecerat. Eequidem ubi matrimonium duntaxat contractus est, *verum* matrimonium dici potuisset, non tamen etiam *ratum*, saltem postquam *legitimi*, & *rati* matrimonii distinctio apud Interpretes canonum, & Theologos facta fuit, & *ratum* illud tantùm matrimonium dici cepit, quod esset Sacramentum; secus dicere oporteret, Tridentinos Patres aut ignorasse doctrinam cæteroquin in vulgari prudentia positam, aut scientes prudentes receptam verborum significationem sequi noluisse in sancendis canonibus, quæ dicere, minus consentaneum est. Si fortè quemquam ita teneret hæc observatio, ut huic opinioni exinde necessariò subscribendum putaret, quasi nullus amplius locus disputationi supersit, rogo illum, ut ulterius observet, *rati* conjugii nomen pro Sacramento conjugii usurpari, quoties opponitur *legitimo*, juxta capitulum 7. de divortiiis: at quoties opponatur *irrito*, aequè referri meo judicio potest ad conjugii contractum: in laudato autem Tridentino capite ra-

tum opponitur irrito, ibi: *Vera, & rata* matrimonia, *quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*; & infra: *hujusmodi contractus irritos, & nullas esse decernit, prout eos præsentis decreto irritos facit, & annullat*. Insuper adjiciunt ejus opinionis Patroni, in Concilio Tridentino dicto cap. 1. cum de Sacerdotali benedictione ageretur, certam determinatamque benedicendi formam non fuisse præstitutam, sed vel eam, quæ ita concipitur, *Ego vos conjungo &c.*, vel aliam, quæ conformis esset recepto uniuscujusque Provincia ritui. At verò eerta verba præstituenda fuisse ajunt, quoties in iis Sacramenti forma constituta agnosceretur, quemadmodum in formis cæterorum Sacramentorum decretum est. Neque se destitutos ajunt auctoritate Sanctorum, gravissimorumve virorum, qui huic sententiæ adhesisse visi fuerint: nimirum laudant Thomam Aquinatem in supplemento quest. 42. art. 1. ad 1. ita scribentem: *Verba, quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujusce Sacramenti, non autem benedictio Sacerdotalis, qua est quoddam Sacramentale*. Post hæc ita perpensa, sicut nemo est, qui non laudet eximiam Benedicti XIV. prudentiam, qui in dicto cap. 13. lib. 8. de Synodo diocæsanâ cum utriusque opinionis solidiora fundamenta inuenerit, non eo se fuisse animo professus est, ut quemquam ad alterutram amplectendam induceret imò pro officio suo Episcopo monitos voluit, ne in hac parte ipsi Judicis partes assumant, quæstionemque definiant in Synodis diocæsanis, de qua Ecclesia nihil hæcenus pronuntiavit, sed Theologorum disputationi permisit, quod utraque opinio probabilis sit, suosque habeat magnæ auctoritatis patronos; ita nemo erit, qui quemquam redarguere possit, quòd alterutri potius subscribat, quousque Ecclesiæ definitio desideretur.

QUÆS.

## QUÆSTIO III.

*An generaliter verum sit, omnia Christianorum matrimonia, ne uno quidem, aut altero excepto, statim ac vera matrimonia dici possunt, esse etiam Sacramenta?*

CUM per baptismum fiat hominum primùm idoneus ad cætera Christi Sacramenta suscipienda, nemo dubitat, quin infideles, qui scilicet baptizati non sunt, conjugia quidem legitima inter se contrahant, non tamen conjugii Sacramentum conficiant, cap. 7. vers. *nam etsi* de divortiiis. Verùm si de baptizatorum, seu Christianorum matrimonii agatur, atque investigetur, utrum aliquando celebrata intelligantur quidem consistere, uti contractus, non autem uti Sacramenta, iterum intricatur disputationibus Scholasticorum, quorum animi diversas in partes distrahuntur. Ego rem hanc non video adeo in incerto collocatam, ut quam in opinionem sit probabilius eundem, indicare non possim. Nimirum gravissima statim objiciuntur argumenta, quibus perspicuè demonstratur, id posse aliquando contingere. In primis non est opus disputare adversus illos, quicumque putant, Sacramenti hujus ministrum esse Sacerdotem, & Sacramenti ejusdem formam in Sacerdotali benedictione constituitur; isti enim spontè id fatentur, & tradunt, quando & ante Concilium Tridentinum in clandestinis matrimoniis, & post Concilium Tridentinum in matrimoniis celebratis coram Parocho nihil dicente, fortè etiam contradicente, nullam agnoscent Sacramenti rationem inesse, agnoscent autem verum, firmumque contractum. Disputatio potius ineunda est cum illis, qui contrahentes ipsos Sacramenti ministros esse dixerunt; horum enim plurimi se minus religiosè sentire putaverunt, quo-

ties dicerent, Sacramentum non esse, statim ac est contractus; veriti, ut arbitrator, ne impingerent in Ecclesiæ definitionem, qua docemur, matrimonium esse Sacramentum. Equidem id verissimum est, non tamen ad omnia matrimonia pertinet, quemadmodum Ecclesiæ definitio, qua docemur Pœnitentiam Sacramentum esse, omnes omnino pœnitentiæ species non complectitur. Istis ego oppono virum religiosissimum Melchiorum Canum, qui in ipso etiam Tridentino Concilio præsens adfuit, omnibus ibidem ob insignem rerum sacrarum doctrinam commendatissimus. Hac ipsa quæstione proposita in lib. 8. de locis Theologicis cap. 5. animadvertit, *casu quodam* factum esse, ut Theologi numero plurimi asseruerint, non posse inter fideles matrimonium ullum esse, quin etiam sit Sacramentum, cum contrà usu quoque venire potuisset, ut si primus asseruisset, non omne fidelium conjugium Sacramentum esse, sed quod religiosè, sacratèque fuisse constitutum, secundus, tertius, ac deinceps reliqui, quantum probabile etiam id esset, eandem sententiam sequerentur. Et post pauca: *Tametsi matrimonium Sacramentum est, non ideo tamen conjugium quodcumque venerari cogitur, sed id, quod formam sacram habeat, & à vero Ecclesiæ ministro consecratum sit. Alioquin, si quolibet fidelium conjugium Theologis necessariò Sacramentum est, quis Scotum tuebitur, qui conjugia, qua solis nuptiis contrahuntur, negat esse Sacramenta? At, nisi me fallit animus, rectè negat. Etenim non Magister, & D. Thomas modo, verùm etiam Concilium Florentinum docet, omnia*

D 2

nia



nia Sacramenta verbis constare, quæ si desint, nullam omnino conficiuntur Sacramentum. Tandem post quadam proposita exempla ita concludit: *Quibus ex rebus breviter disputatis intelligi potest, non solum non esse dogma fidei, omne fidelium matrimonium Sacramentum esse, sed etiam contrarium omnino sententiam probabiliorum esse.* Addendum his est, quod adnotavit Cardinalis Pallavicinus in Historia Tridentini Concilii lib. 23, cap. 9, scribens, in Concilio definitum minimè fuisse, clandestina veterum matrimonia jure Sacramentorum censi, quamquam definitum fuerit, eadem fuisse firma, ac rata, adeo ut præstantes aliqui Theologi non dubitaverint illa quidem agnoscere veluti contractus, non veluti Sacramenta. Non igitur temerè affirmabitur, posse aliquot fidelium conjugia subsistere, quin sint Sacramenta.

Rem demonstramus exemplis. Primum est, quod porrigit disciplina, quæ ante Concilium Tridentinum vigeat; nimirum in matrimoniis tacitis, seu præsumptis, ut in specie cap. 15, 21., juncto 14., cap. 30. & 32. de sponsalibus; si enim ista potissimum emergant ex diuturna cohabitatione eorum, qui mutuò sese haberent tanquam virum, & uxorem, nemo facile percipit, quomodo, vel quo tempore Sacramentum aut susciperetur, aut ministraretur, præsertim in conspectu canonis 4, caus. 32, quæst. 2., atque his jungi etiam possent conjugia illa, quæ per nuptus, & sine verbis contrahantur, quæ Sacramenta esse inficiatur olim est Scotus, quemadmodum modò ex Melchiorre Cano referebam.

Alia præterea exempla suppeditantur post Tridentini Concilii sanctiones. Quid enim ex. gr., si duo fuerint infideles legitimo conjugio juncti, uterque deinde per baptismum Ecclesie adscribitur? Horum sanè conjugium etiam post baptismum, Sacramentum minimè dixerò, nisi tum fortè, quod nonnulli scripserunt, cum ambo in

conspectu sacri administri consensum renovaverint, & sacrum susceperint benedictionem; quod plurimum congruere videtur, ut ea ratione Christi gratia conjugibus in eo Sacramento præparata non negligantur. Interèa verò quousque consensum in conspectu Ecclesie non renovent, non video, quomodo qui erat simplex matrimonii contractus, per baptismum transire incipiat in Sacramentum. Non ignoro, aliquos ex nostris Scriptoris tradidisse, & hoc matrimonium Sacramentum fieri in ipso suscepti baptismatis actu; aliquos in ea fuisse opinione, ut Sacramentum esse inciperet post baptismum, quando conjuges consensum olim præstitum vel expressè verbis, vel tacitè subsequente copula confirmant. Verùm priorum opinio mihi satis placere non potest; neque enim percipio, quomodo sine forma à ministro pronuntiata, si Sacerdotem Sacramenti ministrum supponamus, aut si ministerium Sacramenti demus conjugibus, ne cogitantibus quidem eisdem de Sacramento ministrando, suscipiendoque, Sacramentum conficiatur. Imò si fingas, conjuges illos non eodem tempore baptizari, eo majoribus difficultatibus rem involutam agnosces; nam cum Sacramentum non sit, nisi in utroque conjugè, non video, quomodo in baptisate unius possit esse Sacramentum conjugii etiam in altero, qui adhuc baptismum expectat; aut quomodo in baptisate alterius incipiat esse Sacramentum in utroque, quando is, qui antea baptizatus est, fortè de conferendo Sacramento non cogitat. Nec posteriorum opinio satis conveniens mihi videtur, utpotè quæ ex usu ipso conjugii Sacramentum emergere posse supponit; neque satis consonat Concilii Tridentini decreto, quo sine presentia Parochii matrimonium ratum esse non posse definitum est; quin dicas, Tridentinum decretum non afficere matrimonia in infidelitate contracta; neque enim

re-

repugno, quia video de contractu jam inito sermonem institui. At cum de Sacramento loquimur post baptismum suscipiendo, quod scilicet post baptismum accedit sanctificando contractui inito ante baptismum, cur Tridentinum decretum, quod baptizatos omnes obligat, locum non est habiturum? Quòd si adhuc nonnullis ea opinio placeat, nihilominus confectam rem habeo. Siquidem quo tempore post susceptum baptismum necdum aut expressè, aut tacitè confirmatum matrimonium à conjugibus fuit, non inficiatur ipsi, conjugii esse contractum sine conjugii Sacramento. Finge nunc aliam speciem: nimirum matrimonium celebrari inter baptizatum, & catechumenam legitima accedente dispensatione. Nonne baptizatum contractum celebrasse dicitur sine Sacramento? Id passim, paucis exceptis, & Theologi, & Canonum Interpretes tradunt; & quamquam sint, qui scripserint, ex parte baptizati Sacramentum esse; rogo illos, ut indicent mihi, quo ministrante Sacramentum baptizatus accepit. Si enim ii sunt, qui conjuges ipsos tradunt invicem sibi esse Sacramenti ministros, docere debebunt, quomodo fieri possit, catechumenam, quæ incapax est suscipiendo, esse conferendo Sacramento capaxem; neque enim abuti eos velim similitudine necessarii Sacramenti, quale est baptismum, in quo cujuscumque etiam infidelis singulari quodam jure admittitur ministerium.

Vulgare aliud proferri solet exemplum in matrimonio aut per epistolam, aut per procuratorem contracto, in quo facile, quidquid alii senserint, nullum conferri Sacramentum agnoscitur, licet valere contractum nemo inficietur, cap. ult. de procurator. in 6. Paucis id demonstravit Melchiorre Canus loco superius laudato, ita scribens: *Non igitur Ecclesia docet, quodlibet fidelium matrimonium Sacramentum esse, nisi quis adeo desuper, ut Cajetanum damnet, qui & probabiliter*

*sint, & me quidem judice, verissime, matrimonium, quod inter absentes per literas procuratoremque contrahitur, Sacramentum esse, inficiatus est. Nam qui in hoc Cajetanum errasse clamant, hi non intelligunt nec que loquantur, nec de quibus affirmant. Quid si nullo idoneo, & necessario argumento, sed stultis, turbulentisque clamoribus, alienas resellerent sententias perquire, atque adeo damnare, quæ probabiliter, & verè dicta sunt, tum nos in quiete, & silentio taciti illorum utilitatem, ameniamque videmus. Concedamus illi unum pro altero Sacramentum sumere, cum pro altero contrahit. Concedant, Sacramenta Christi absentibus administrari, eisdemque & gratiam conferre, & peccata remittere. Nos enim, quoniam hæc abunda sunt, concedere potius volumus, ejusmodi contractus, qui inter absentes transiguntur, matrimonia quidem verissima esse, vera Sacramenta nullo modo.*

Neque verò quisquam in contrarium opponat, si ita sese res habeat, in istis, vel similibus speciebus futurum, ut Ecclesia contrahentes compuleret, aut saltem hortaretur, atque induceret contrahentes ad contractum ita opportuno tempore renovandum, ut posset fieri Sacramentum, ne contrahentes ipsi preparata ex Christi institutione careant gratia Dei; cumque ob eam rem conjugii renovationem urgeri non videamus, gravem capi conjecturam, quemcumque matrimonii contractum haberi pro Sacramento. Adversus hæc ego in primis repono, eos, qui ita contraxerint, ab Ecclesia non repelluntur, quominus consensum renovent in conspectu ecclesiastici administri, si voluerint; unde gravis conjectura capi potest, nondum matrimonia illa haberi pro Sacramentis. Deinde observo, non deesse gravissimos viros, inter quos Cardinalis Cajetanus, qui laudat contrahentes per procuratorem, quoties in conspectu Ecclesie presentes ambo semel contractum conjugium ratum habent suscepta Sacramentali benedictione. Quòd si id præcepto Ecclesie non urgetur, fortè ex eo fit, quòd non-



nondum definita publico Ecclesie suffragio sit illa Scholasticorum opinio, cuius meminit Benedictus XIV. de Synodo diocæsana lib. 8. cap. 13. num. 8. opinantibus aliis, posse renovari contractum matrimonii, ut incipiat etiam esse Sacramentum; aliis è contrario opinantibus; contractum conjugii semel validè initum, nisi cum iniretur, Sacramenti naturam induerit, nunquam deinceps posse effici Sacramentum. Omitto gravissima, quæ emergent, in Republicam Christianam incommoda, si

### QUÆSTIO IV.

#### De veterum Concubinato.

**P**urimum conferre potest ad perspicendam conjugiorum naturam de veterum concubinato nonnulla disserere, ne fortè aliqui minus prudentes cum legerint quandoquè aut sacris canonibus, aut civilibus legibus non omnino damnatum fuisse concubinatum, injustas nuptias perperam cum legitimis, justisque confundant. Quæ in re cum veterum concubinatum memoro, non adeo altius rem repetendam velim, ut à nobis sit de antiquissimis aut Sanctorum Patriarcharum, aut qui ex Patriarchis originem duxerunt, Hebræorum moribus investigandum. Tùm in gravissimas disputationes descendere oporteret, quas ut definirent vel ipsi ecclesiastici sapientissimi prisci Patres, non aliam commodiorem viam sibi aperuerunt, quam concludendo, symbola quædam sacra non satis obvia viribus humani ingenii in ea connubiorum specie esse agnoscenda, imò etiam veneranda potius, quam investiganda, can. 1. & 2. caus. 32. quæst. 4., Isidorus Hispanensis in lib. Judicium cap. 6., ut innumeros alios prætermittam. Item in proposito vix disputatio ista sejungi posset ab altera, qua quæreretur, an apud Hebræos veteres licuisset aliquando plures ducere uxores, quando verum est, eas

passim, & sine discrimine urgerentur omnes decreto publico ad renovandum in conspectu Ecclesie matrimonii contractum jam antea ritè perfectum. Quis enim tranquillitatem publicam adeo in tuto collocare tunc posset, ne qui per iniquum ceteroqui, detestabilemque perfidiam prætextu matrimonii per Sacramentum firmandi ad Ecclesiam, seu ad ministros ecclesiasticos accedentes, potius se de contractu ipso per penitentiam retractando agere palam se posse confiderent?

quæ in sacris veteris Testamenti litteris concubinæ appellatur, quandoquè & uxorem nomine fuisse appellatas; nisi dixeris, propriè eas uxores appellari consuevisse, quæ non tam protis causa ducerentur, quam familia etiam una cum marito regenda, atque administranda; at concubinas propriè dici, quæ tantum prolis causa susciperentur. Sic Cethura in cap. 25. Geneseos concubina, & uxor dicitur Abraham, quemadmodum etiam Agar in cap. 16. & 25. Geneseos dicta fuit Abraham uxor, quæ alibi concubinæ nomine distinguitur, dicto cap. 25. Geneseos, & lib. 1. Paralipomen. cap. 1. Sic Jacobo Bala ancilla Rachelis, & Zelpha ancilla Lia propriè concubinæ fuerunt, cap. 35. Geneseos, uxores tamen etiam nominantur, & in conjugium data, Geneseos cap. 30. Itaque sufficiat, quædam etiam de concubinis istis pauca attigisse, dum dico primum juxta Apostoli Pauli sententiam in epist. ad Galatas cap. 4., quædam ibidem agnoscenda esse per allegoriam dicta ad vetus simul, & novum testamentum significandum; deinde, singularem & providam Dei permissionem deprehendi, ut latius genus Sanctorum ad paucos ferè redactum tunc propagaretur, canone 3. 6. 7. 9. caus. 32. quæst.

quæst. 4. denique, nec omnino concubinatum illum à Deo fuisse quandoque probatum, uti de concubinato Abraham scribere non dubitavit Ambrosius in libro de Abraham, ex quo depromptus est canon 3. caus. 32. quæst. 4., imò expressè quandoquè reprobatur, quoties ad libidinem flecteretur, uti liquet ex cap. 11. lib. 3. Regum de concubinis numero plurimis Salomonis, can. 13. caus. 32. quæst. 4. Cæterum, quæ disputationi locum in hac materie præbere possunt, commodius juvat referre in quartam Dissertationem, ubi de evitanda polygamia agendum erit, atque curiosius investigandum, an reverà ex naturæ jure damnetur.

Potius ad Romanorum veterum mores respiciendum est, qui & Christianis aliquando, ac maxima in parte fuerunt communes, saltem prioribus Ecclesie sæculis, cum probata ab Ethnicis juris publici prudentia nondum purgari omnino, & ad purissimas Evangelii institutiones exigi undecumque potuit. Itaque Romani non concubinarum nomine donaverunt aut conjuges illas, quæ in viri legitimi injuriam jungebantur alteri, aut solutas à conjugio fœminas, quæ uxorem justam habentibus jungerentur; etenim sicut priores, adulteras, ita posteriores pellices appellabant, utraque sanè probrosis nominibus, atque iis, quæ non longè distarent, juxta illud Ovidii Metamorphos. 10. de Myrrha *Tunc erit & matris pellex, & adultera patris?* Quamquam enim grammaticalis concubinæ significatio eam fœminam demonstraret, quæ vivo concubitu jungeretur, quomodo Massurius non probante Flacco, scribebat in l. 144. ff. de verb. signifi. vulgò tamen generalis, & nimium latè patens nominis significatio usu loquendi contracta est, ut sicut non uxorem, ita nec adulteram, nec pellicem designaret; quamobrem scimus, & adulteras, & pellices jure Romano damnatas, concubinas damnatas minime legimus. De adultera una

lex Julia de adulteriis lata id abundè demonstrat: de pellicibus etiam concepta jam olim fuerat vetustissima lex Numæ Regis; deinde translata in duodecim tabulas apud Gellium lib. 4. Noctium Atticarum cap. 3. ibi: *Pellex aram Junonis ne tangito, si tangit, criminibus demissis agnum fœminam addito*: quibus sanè verbis ad modestiam compositis indicabatur, maritalem thalamum, quem aram Junonis appellabant, quasi Junoni sacrum, non debere à pellice tangi. Sed & concubinatus à stupro distinguitur, proptereaquod in stupro nulla consuetudo sit; & vitæ universæ communio; quamobrem utramque conjunctionem manifestè distinxerunt, tum Attilianus, & Ulpianus in l. 1. §. 1. ff. de concubinis, scribentes, eas posse in concubinas haberi, in quas stuprum non committeretur; tum Modestinus in l. 34. ff. ad leg. Jul. de adulter. docens, stuprum in concubina non committi; tum Papinianus in l. 16. §. 1. ff. de his, quæ ut indignis, tradens, eam, in qua non stuprum, sed concubinus fuit, testamento capere posse. Quid aliud ergo erat concubinatus ille, in quo nec adulterium, nec pellicatus nec stuprum fingebatur, quam nuptiæ minus solemnes, in quibus maritalis quidem affectio erat, sine thori divisione, nemine consuetudinem interturbante, cui scilicet nihil aliud oberat; quominus justæ nuptiæ dicerentur, quam una legum subtilitas, aliquando etiam nimia Ethnicorum asperitas, qui justas nuptias non dicebant, nisi quoties confarreationis solemnitas aderat, aut certa stipulationum formula accesserat ad celebrandam eõemptionem, aut denique longa, nec interrupta usucapio, contestatione liberorum suscipientorum præcedente, intercessisset? Quod concubinatus individuam consuetudinem vitæ designaret, stuprum non erat; quod in aliena uxore non fieret, adulterium non erat; quod ab eo non admitteretur, qui jam fuisset uxori legitimæ sociatus, pel-



licatus non erat. Uno verbo, conjugium erat naturali tantum jure subsistens, quod jus publicum non damnaverat quidem, sed tantum non omnino probaverat, quomodo interpretanda censeo verba Pauli in l. 4. ff. de concubinis, scribentis, *concubinam ex sola animi destinatione estimari oportere*. Naturali, inquam, jure conjugium illud subsistebat, quia nihil adversus naturæ præcepta videbatur admitti: nam si ex gr. naturæ jure unius cum una conjunctionem dicas matrimonium esse, id observatum fuisse in concubinato dignoscitur, quoties concubinam cum pellice, vel adultera non confundas. Item si naturæ jure & maritus putes, & viripotens femina esse debet, & id in concubinato observatum fuisse, tradidit Ulpianus in l. 1. §. ult. ff. de concubinis. Præterea si natura postulat, ut abstinemus à certarum personarum conjunctionibus, hanc quoque legem in concubinato custoditam non ignoramus, in conspectu dictæ legis l. 3. qua declaratum est, eam, qua: semel fuit in patroni concubinato, non nisi nefarè in concubinato filii ejusdem patroni esse posse, vel contrà, & ideo hujusmodi facinus prohibendum; item in conspectu legis §6. ff. de ritu nuptiar. in qua definitur, incestum esse, si concubinam quis sororis filiam habuerit. Fortè inquires, dissolvi potuisse concubinatum, quod dices naturæ regulis adversari. Verùm cum demonstravi, concubinatum fuisse à stupro distinctum, demonstratum etiam volui, in contrahendo concubinatum animum fuisse individuum in eundem vitæ, quod ad naturalis conjugii celebrationem sufficit, licet deinde vel perfidia, vel ex causa, quam quis legitimam putet, à communione discedatur: neque enim ideo quisquam dixerit, matrimonia ipsa justa Romanorum non fuisse vera eonjugia, quod, licet ab initio animus fuerit apud conjuges individua in eundem vitæ, certas deinde subsesse posse repudiæ causas exis-

timarent, l. 1. & toto tit. ff. de divortitiis, l. 1. & passim eod. cod. tit., Nov. 22. cap. 4. & 14., juncta Nov. 117. cap. 12. Hæc sanè ratio fuit, quare in Romanis legibus inter uxorem; & concubinam nihil nisi dignitate tenus interesse dicebatur, l. 49. §. 4. ff. de legat. 3., quare etiam filii ex concubinato suscepti, non spurii quemadmodum ex damnato coitu geniti, vocarentur, sed naturales, nimirum servata in eorum procreatione simplicitate naturæ, Nov. 74. cap. 6. Nov. 89. cap. 15. quomodo etiam intelligitur visus fuit canonum collector Gratianus, qui cum aliqua de concubinis tradidisset in dist. 34. ad calcem canonis 3. hæc subjecit: *Concubina autem hic ea intelligitur, que cessantibus legalibus instrumentis unita est, & conjugali affectu adsciscitur. Hanc conjugem facit affectus, concubinam vero lex nominat.*

Quando verò dixi, concubinatum apud Romanos veteres non jure publico damnatum fuisse, sed fuisse non omnino probatum, duo potissimum innuere volui. Primum est, concubinatum ita habitum fuisse, ut facilè data opportunitate in nuptias justas transiret, quemadmodum facilè etiam naturales liberi suscepti ex concubina justè efficiebantur, Nov. 89. cap. 1. Hinc de Romanis ita scribebat Hieronymus in epist. ad Oceanum: *Affectione maritali retinebant concubinas ad dividenda onera, & minuendas impensas, quas tamen ad ampliores eventus divitias etiam uxorem non tantum nomine, & dignitate, sed etiam jure dignabantur. Quidquid autem aliquando dubitaverunt Jureconsulti de maritali conjunctione, num nuptiæ dicerentur, an simplex concubinatus, quemadmodum in l. 24. ff. de ritu nuptiar., ubi in dubio presumuntur nuptiæ, non concubinatus in consuetudine libera: mulieris, nisi mulier quantum corpore fecisset, quod ideo subjicitur, non quia concubina: liceret quantum corpore facere, sed ne maritus de adulterio suspectus esset, dum questionis lenocinii subjiceretur; necnon in*

l. 31.

l. 31. ff. de donation., ubi dum dubitatur, an donationes in concubinam, an potius in uxorem sint collatæ, considerandum dicitur, qualis fuerit vitæ conjunctio, atque utrum maritalis non tam affectio, quam honor præcesserit. Quorsum dubitationes istæ de conjunctione, an concubinatus esset, an conjugium justum, nisi parum concubinatus à conjugio justo distaret? Alterum est, facile intelligi exinde, qua de causa, & quibus in casibus Romani iidem veteres aliquando de concubinato potius contrahendo, quam de conjugio cogitarent. Siquidem animadvertere oportet, non omnium nuptias apud Romanos fuisse jure probatas; imò & illorum, quorum probantur, non aliter probatas fuisse, quam certæ solemnitates intercederent. Quid enim in primis, si gerens in Provincia Magistratum feminam Provinciale sibi jungi conjugio adamavisset? Quid, si filiofamilias, qui patris fortè furiosi consensum obtinere non poterat, uxorem ducere causa liberorum expeditisset? Quid, si Senator, aut vir clarissimus libertinam mulierem sibi sociare conjugio voluisset? Quid, si nuptiales tabulæ, ac præsertim dotales, quibus demùm intervenientibus aliquando scimus nuptias justas dictas fuisse, legitimasque, can. 6. caus. 30. quæst. 5., desiderarentur? In istis, aut similibus casibus cum lege publica matrimonia non probarentur, concubinatus juxta legis naturalis simplicitatem fiebat, quo scilicet nihil familiæ decori, aut Civitatis splendori detraheretur, qui splendor, quodque decus ex justis tantummodo nuptiis pendebat, l. 1. princ. & l. ult. ff. de concubinis; uti enim scribebat Ulpianus, *honestus erat patrono libertam concubinam; quam matremfamilias habere.*

Igitur quousque hisce terminis continerentur, qui in concubinato erant, dicebantur quidem in conjugio minus honesto esse, quia non omnes legum publicarum solemnitates in contrahendo conjugio impleverant, nihil tamen illi

Tom. III.

admiserant, quod videretur juri naturali adversari. Quòd si de Christianis sermo sit, tantum illud non curaverant, ut nuptiæ Sacerdotali benedictione juxta ritum Ecclesiæ antiquissimum consecrarentur, quod uti illicitum esset, nihil oberrat, quominus validum, & firmum conjugium diceretur. Quamobrem S. Augustinus nihil habuit, ex quo hæc conjugia dissolvi debere censeret, dum in libro de bono conjugali cap. 5. ita scriberet: *Solet quæri, cum masculus, & femina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibi met non filiorum procreandos, sed pro incontinentia solius concubitus causa copulantur, ea fide media, ut nec ille cum altera, nec illa cum altero id faciat, utrum nuptia sint vocanda. Et potest quidem fortasse non abstrudè hoc appellari concubinam, si usque ad mortem alterius eorum id inter eos placeret, can. 6. caus. 32. quæst. 2. Deinde etiam Concilium Toletani Patres, & S. Isidorus Hispalensis hanc concubinatus formam ad regulas juris naturalis exactam non improbare penitus poterunt, in can. 4. & 5., si tamen isti genuini esset, dist. 34., ubi legimus, non esse à communione christiana repellendum, qui uni tantum vel uxori, vel, si uxor nulla sit, concubinæ conjugatur; quo sensu etiam Imperator Justinianus in l. 5. cod. ad Sen. Cons. Orphitianum concubinatum *licita consuetudinis* nomine appellavit.*

Interea quidam præcis Ecclesiæ sæculis, plurimi autem recentiore & sequiore ætate extiterunt, qui permisso concubinato abuterentur, cujus abusus causa duplex erat. In primis non deerant, qui sibi facilè persuadebant, posse se pro lubitu concubinam dimittere, qua lege publica non animadvertebatur adversus dimittentem, etiam si nulla esset dimittendi causa, & nulla in dimittendo solemnitas intercederet; imò & ea voluntate ad concubinatum perperam deveniebant, ut scilicet illa maritalis conjunctio speciem quidem exteriori concubinatus haberet, reverà damnatum legibus stuprum esset, imò & stupro ip-

E

50



so eo probrosior, quo diutius in eo crimine consistetur. Quis inde non videat, aperiri potuisse viam amplissimam ad id, quod dictu nefarium est, nimirum ad pœnè promiscuam mulierum consuetudinem? Deinde erant, qui sibi facile persuaserunt suis vitii blandientes, quocumque casu, quo lege publica nuptiæ prohiberentur, permitti legibus, aut saltem non improbari concubinatum. Quis etiam inde non videat, aperiri potuisse viam latissimam ad adulteria virorum, quoniam qui uxorem jam duxerant, quòd aliam sibi jungere uxorem nequirent, jungebant concubinam? Deplorabile dictu est, ferreis sæculis hanc ipsam persuasionem invasisse nonnullorum, majorum etiam, Clericorum animos, qui dum perspectum habuissent, sacris canonibus sibi interdictum esse conjugii, concubitu sacrilego se maculari non erubuerunt. Opus hinc fuit, ut latis legibus gravissimis hæc universæ, ac præsertim Christianæ Reipublicæ incommodis occurreretur. Primus Constantinus Magnus in l. 1. cod. de concubinis expressè cavet, nemini licere, constante matrimonio pœnè se concubinam habere. Clarius Justinianus in l. ult. cod. communia de manumission. in fine palàm explicavit, hominibus uxorem habentibus non solum suis temporibus non licuisse concubinas vel libertas, vel ancillas habere, sed neque id unquam fuisse antiquo jure concessum, & in Novel. 18. cap. 5. inquit: *Si autem confusa concupiscentia ita fiat, ut alias supervinduat prioribus concubinas, & multitudinem habeat concubinarum fornicantium (sic enim dicere melius est) & ex eis filios faciens moniarum multas simul relinquens concubinas, odibilis quidem nobis est iste, qui talis est, procul autem omnibus modis ab hac lege expelletur.* Adjicio legem 3. §. 7. cod. de bonis libertorum, in qua idem Justinianus postquam tradidit, posse dominum ancillam concubinam habere, statim ita prosequitur: *Qui habet uxorem legitimam, non potest habere concubinam.* Neque à religiosisimo Im-

peratore dissentiebat Rex Athalaricus circa annum 530., qui hoc editum Romanis proposuit referente Cassiodoro libro 9. variarum 18. *Uno tempore duobus nemo copuletur uxoris, quia se novit rerum suarum amissione placendum; nam aut libido est, & rectè perfrui non sinitur, aut cupiditas, & jure nuditate damnatur.* Si quis autem superflua turpique cupidine, conjugali honestate despecta, ad concubina elegerit venire complexus, si ingenua fuerit, jugo servitutis cum filiis suis modis omnibus addatur uxori, ut illi se per honesta judicia sentiat subdi, cui per illicitam libidinem credidit posse præponi. *Quòd si ad tale flagitium ancilla pervenerit, excepta poena sanguinis, matronali subjaceat ultioni, ut illam patriarum judicem, quam fornicare debuisset absentem.* Sancti Ecclesiæ Patres in illos ipsos concubinariorum abusus vi publicarum orationum acerrima clamaverunt, inter quos Augustinus, cujus verba sunt in can. 6. dist. 34., & can. 5. ac 6. caus. 32. quæst. 2., aiebat, non licere ullo modo eam concubinam habere, quam quis esset postea pro libitu dimissurus. Nunc sanè quisque intellet sententiam Leonis Magni in epistola ad Rusticum Narbonensem, cujus fragmentum extat in can. 11. & 12. caus. 32. quæst. 2., ubi Sanctus Pontifex concubinatum ita improbare debuit, ut exoptaret pro concubinis uxores duci, & rejectis concubinis justas uxores induci, quasi ancillam à thoro abjicere, & uxorem certa ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, sed profectus sit honestatis. Non enim ista eò pertinent, ut traderetur, dissolvendum esse verum, & propriè dictum concubinatum per matrimonium justum cum altera contrahendum; sed potius eò, ut traderetur, dissolvendas esse eas conjunctiones, quas quidam inirent animo dimittendi quocumque voluerint concubinam juxta corruptos ejus temporali mores; quæ sanè conjunctio ne naturali quidem jure tanquam conjugium haberi poterat, quando tradidit Gregorius IX. in cap. ult. de condit. appos. irritum esse conjugium ea conditione, ut tantum

tum ad certum tempus contractum intelligeretur. Quòd si in laudatis canonicis id non apertè exprimitur, provoco ego ad integram epistolæ Pontificiæ lectionem; etenim in principio Leo Magnus professus est, se in iis quæstionibus sententiam dicere, de quibus inter presentes opportunius quaereretur, & quæ colloquiis prioribus essent, quam scriptis; unde colligitur, plura dicere voluisse Leonem, reverà minus Rustico interroganti scripsisse. Præsertim verò adversus memoratorum Clericorum sacrilegia passim insurrexerunt vigilantissimi Ecclesiæ Pastores, quorum monumenta sunt in Conciliis prope modum universis undecimi, & duodecimi sæculi, ex quibus derivati sunt canones 5. & 6. dist. 32. necnon can. 40. caus. 27. quæst. 1. Generaliter quoque concubinatum damnavit Leo Philosophus in sua Nov. 91. Tandem re maturè discussa, cum ex una parte per concubinatum solemnitates nuptiarum in Ecclesia benedicendarum negligi viderentur, ex altera parte sperari vix posset, rem non improbè cedere, quod passim sub concubinatum specie violarentur ipsa etiam sanctissima natura, atque Evangelii jura,

cavendum fuit saluberrimis decretis, ne concubinatus amplius nomen inter fideles audiretur, inflictiis adversus concubinos quoscumque gravissimis pœnis, eadem ferè ratione, qua clandestina conjugia ob innumerum prope modum, qui exinde emergebant, abusus prohiberi pœnitè debuerunt. Eadem sanctiones renovatæ fuerunt in Concilio Tridentino sess. 24. cap. 8. de Reform. matrim., ubi & grave peccatum declaratum est, homines solutos concubinas habere; gravissimum verò, & in Sacramento matrimonii singulare contemptum admissum, uxoratos in eo damnationis statu vivere, ac audere, eas quandoquè domi etiam cum uxoribus alere, ac retinere. His arbitror, me non tantum magis in perspicuo collocavisse verè conjugii naturam, atque indolem, ut meo in hac dissertatione proposito satisfacerem, verum etiam enodavisse difficultates omnes in quas, dum de concubinatu ageretur, jure præsertim Romanorum permisso, à nonnullis ex veteribus Ecclesiæ Patribus non pœnitè improbato, recentioribus deinde sæculis optimo jure damnato, viri plurimi etiam eruditissimi inciderunt.